

nec audeti sunt Patres, qui illam tractare, et sententias
Prætorum Doctorum (quorum multi oppositum non ob-
scure sentiunt, inter se conferre, atque examinare
uoluerunt. Et potissimum, quia per ^{illud} multi Patres antiqui
et grauissimi absq[ue] necessitate damnantur. Non item
placeat definiti Christum in cena se obtulisse, cum sancti
Doctores asseuerent illum semel hoc fecisse

(15)

Decretum de obseruandis, uel euitandis in celebratione
Missæ promulgatum in eadem Sessione. vi. die. 17. Sept. 20

Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missæ sacrificiū
omni religionis cultu, ac ueneratione celebretur, quibus facile
existimare poterit, qui cogitauit maledictum in sacris liti-
ris eum uocari, qui facit opus Dei negligentet. Quod si
necessario fatemur nullum aliud opus adeo sanctum, ac
Diuinum a Christianis tractari posse, q̄ hoc ipsum
tremendum mysterium, quo uiuifica illa hostia, qua Deo
Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quoti-
die immolatur. Satis etiam apparet, omnem operam, et
diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri
potest interiori cordis munditia, et puritate, atq[ue] exteriori
deuotionis ac pietatis specie, peragatur. Cum igitur mul-
ta iam, siue temporum uitio, siue hominum incuria, et im-
probitate irrepisse uideantur, quæ a tanti Sacrificii
dignitate aliena sunt, ut ei debitus honor, et cultus ad
Dei gloriam, et fidelis populi adificationem, reseruatur.
Decernit sancta Synodus, ut Ordinarij locorum Episcopi
ea omnia

ea omnia prohibere, atq; e medio tollere sedulo curent, ac teneantur, qua uel auaritia idolorum seruitus, uel irreuerentia qua ab impietate uix seruenta esse potest, uel superstitio uerae pietatis falsa imitatrix induxit.

Aeq; ut multa paucis comprehendantur Imprimis quod ad auaritiam pertinet, cuiusuis generis mercedum condiciones pacta, et quicquid pro Missis nouis celebrandis datur: nec non importunas, atq; illiberales eleemosynarum exactiones potius q; postulationes, atq; huiusmodi, quae a Symoniaca labe uel certe a turpi questu non longe absunt, omnino prohibeant.

Deinde, ut irreuerentia uitetur, singuli in suis Diocesis interdicant, ne cui uago, et ignoto sacerdoti Missas celebrare liceat. Neminem praeterea, qui publice, et notorie criminosis sit, aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse permittant: ne ue patiantur priuatis in domibus, atq; omnino extra Ecclesia et ad Diuinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem Ordinarijs designanda, et uisitanda sanctum hoc Sacrificium a secularibus, aut regularibus quibuscumq; peragi: ac nisi prius, qui intersint, decenter composito corporis habitu declarauerint, se mente etiam, ac deuoto cordis affectu non solum corpore adesse. Ab Ecclesys uero, musicas eas, ubi siue organo, siue cantu lasciuum, aut impurum aliquid miscetur, item saeculares omnes actiones, uana, atq; adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant, ut domus Dei uere domus orationis esse uideatur, ac dici possit.

Postremo, ne Superstitio locus aliquis detur, edicto, et poenis

propositis caveant, ne sacerdotes alijs q̄ debitis horis celebrent,
neve ritus alios, aut alias ceremonias, et preces in Missarum
celebratione adhibeant, preter eas, quae ab Ecclesia probatae
ac frequenti, et laudabili usu receptae fuerunt. Quarū
dam vero Missarum, et candelarum certum numerum, qui
magis a supersticioso cultu, q̄ a vera religione inuentus est,
omnino ab Ecclesia removeant, doceantq̄, populum quis sit, et
a quo potissimum proveniat huius sanctissimi Sacrificij tam
preciosus, ac celestis fructus. Moneant etiam eundem popu-
lum, ut frequenter ad suas Parochias, saltim diebus Domini-
cis, et maioribus festis accedant. Haec igitur omnia,
quae summarim enumerata sunt, omnibus locorum Ordina-
rys ita proponuntur ut non solum ea ipsa, sed quaecumq̄
alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi a sacro
sancta Synodo potestate, ac etiam ut Delegati Apostolici
prohibeant, mandent, corrigant, statuunt, atq̄ ad ea inuisi-
late servanda censuris Ecclesiasticis, alijsq̄ penis, quae
illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellat
Non obstantibus privilegijs, exemptionibus, appellationibus
et consuetudinibus quibuscumq̄.

(16a) Decretum de Reformatione publicatum in eadem Sessione
vi. s. Conc. Trident. die XVII Septembris 1562

Eadem sacrosancta synodus re. Ut Reformationis negotium
prosequatur haec in presenti Sessione statuenda censuit

Canon Primus